6

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER HALLIDAY,

SCOTUS.

"Indicium rubor est, et ductus anhelitus aegrè;
"Ora patent; auraeque graves captantur hiatu.
"Non stratum, non ulla pati velamina possunt."

Ovid, Met. Lib. 7. l. 555.

Ad diem. 12. Sept. hor. loc. sol.



Edinburgi:

CUM PRIVILEGIO, APUD ALEX. SMELLIE.

1805.



VIRO ADMODUM HONORABILI,

ALLANO MACONOCHIE

DE MEADOWBANK,

SUPREMÆ, APUD SCOTOS, CURIÆ,

CUM IN CIVILIBUS TUM IN CRIMINALIBUS,

SOLERTISSIMO ATQUE INTEGERRIMO

SENATORI;

Qui literas humaniores omnemque doctrinam atque ſcientiam ineunte aetate feliciſſimè excolebat; et etiamnum, poſt fori ſtrepitus atque quotidianos in legibus adminiſtrandis labores, his iiſdem animum reficit, et aetatem provectiorem oblectat; Has ſtudiorum primitias, ex animo grato atque obſervantiſſimo,

D. D. D.

A. HALLIDAY.

To John Dillon Esqr. with best
Compliments from the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE.



RESPIRATIO, de qua pendet vita, multis variisque morbis obnoxia est. Hos tamen omnes notare, atque eorum causas exquirere, ut longi laboris esset, haudquaquam fert animus. Unum igitur selegimus, cui nomen ASTHMA de quo, omissis aliis, breviter disserere pergimus.

Primum omnium, notatu dignum est, quod vox ASTHMA variè a scriptoribus usurpata fuit,

 nos

nos tamen eâ utimur, ſenſu illo reſtrictiore quem his verbis lucide expoſuit CULLENUS : "Spirandi difficultas per intervalla ſubiens ; cum anguſtiae in pectore ſenſu, et reſpiratione cum ſibilo ſtrepente ; tuſſis ſub initio paroxyſmi difficilis, vel nulla, verſus finem libera, cum ſputo muci ſaepe copioſo."

Primis morbi paroxyſmis, ſymptomata graviora omnem animi attentionem ſibi vindicant ; ſed aegro, aliquandiu morbo implicito, multa alia ſeſe offerunt, quae eum rite praemonent venientis mali. Inter alia, laſſitudo quaedam et torpor artus praegravant, graveſcit etiam caput, interdum dolet ; atque aeger et mente et corpore languet. Interdum ſibi et adſtantibus ſomnum quietum initurus videtur, ſed non datur tali frui voto. Saepiſſime ventriculus primus laborat, atque haud valet ſolito perfungi munere. Concoctione impeditâ, generatur magna vis aëris, quae ventriculum inflat atque inerti pondere premit ; et ſaepe cum caeco murmure tota inteſtina pererrat. Moleſtia tenet totum corpus, anxie-

tas

tas praecordia premit, reſpiratio fit frequens, diffi-cilis, anhela, et ſubinde, aeger ſtadium graviſſi-mum morbi inire cogitur. Interdum tamen, his omnibus praemiſſis, primâ nocte, ſomnus obre-pit, ſed inquietus nec longam laboris oblivionem aegro allaturus; paucis enim horis ſubito excu-titur, et provocatur infelix aeger veniente colluc-tari morbo. Urgente dyſpnoeâ, ſaltu repentino ſe lecto erigit, ore hianti patuliſque naribus niti-tur auram carpere vitalem; ſed pectus et guttur, ſicut aere revincta, movere recuſant, adeoque re-ſpirationis functio perfici nequit. Mente turba-tâ ſeu Naturâ ſuadente frigidum aëra petit, omnem veſtitum et collo et pectore depellit; molitur ſummâ vi elevare coſtas, ut thoracis cavum amplietur, et introitus apertior ſit aëri; ſed haec omnia minimè proſunt. Reſpiratio-nis muſculi hos motus ſalutiferos perficere re-cuſant. Glottis etiam et trachea totumque pul-monum ſyſtema rigida, fiunt; atque ſonum ſtrepentem edunt, ineunte et exeunte aëre. Si tuſſis aut ſermonis qua datur facultas, ſonus durus raucuſque redditur, et nil ſputi ejicitur

etiamſi

etiamſi tuſſicula exſcreare monet. Micant oculi, interdum lachrymis ſuffuſi. Vultus pallidus et tenſus, interdum tamen rubet aut livet. Pulſus fit celer atque validus, junioribus et plethoricis; aliis tamen debilis tardus et intermittens. Calor rarò auctus; saepius corpus totum mirè frigeſcit. Humor gelidus frontem genaſque irrorat; cor palpitat miſero tumultu; et ſaepè, ſi ſcriptoribus fides, ſyncope ſuperveniens natantia lumina condit. Crederet rudis de aegro actum eſſe, et procul dubio, paroxyſmus aliquoties fuerit lethalis; ſaepiſſimè tamen pectoris vincula ſenſim fiunt ſolutiora, et liberior ſpirandi datur copia. Tunc incipit aeger tuſſire et loqui facilius, atque cum ſono naturali; pauxillum muci exſcreat ſaepè ſanguine aut lineis nigris diſcretum; et quanto plus ſputi tanto citius decedit morbus. Urina quae, perſtante paroxyſmo, limpida copioſaque reddebatur, nunc parcior fit, atque multum sedementi deponit; pulſus ad ſtatum uſitatum redit; rurſus pervadit artus genialis calor; et brevi, aeger, quaſi labore confectus, obruitur ſomno.

Temporis

Temporis ſpatium quo haec omnia peraguntur non ſemper fixum atque idem eſt. Plerumque paroxyſmi praecurſores veſpere ſubeunt; ſub mediâ nocte morbus irruit ſummâ vi, et ante primam lucem mitior evadit, aut penitus decedit atque excipitur ſomno. In paroxyſmis tamen gravioribus non tam cito decedit, poſtero enim die, quaedam ſpirandi difficultas remanet, quae ad veſperem ingraveſcit, et ſaepiſſimè, eâdem hora qua prius, de novo ingruit paroxyſmus eundem curſum perfecturus. Hoc modo per multos dies atque etiam hebdomadas aſthmaticus ſaepe laborat; ſenſim tamen leniores et breviores fiunt impetus, et tandem penitus ceſſant. Supervacaneum eſſet dicere mentem aegrotare adeo laborante corpore; nobis tamen contigit quendam videre, qui lecturâ ludiſque delectatus eſt cum eloqui non potuit, tam graviter ſaeviebat morbus.

Talem induit formam gravis aſthmatis paroxyſmus. Omni tamen tempore hanc non fideliter ſervat, nam gravitate duratione aliiſque modis multum variat; ſed haud neceſſe eſt has diver-

ſitates magis ſpeciatim notare. Sub omni forma aſthma maximè perhorrendum eſt, nam quemcunque ſemel corripuerit non ſolum in preſenti graviter vexat, ſed, quamdiu vita perſtabit, eum rariſſimè penitus demittet quia intervallis, magis aut minus longis, incurſus redintegrare ſolet. Quidam paroxyſmo corripiuntur ſemel in anno, alii bis vel ter; multi ſingulis menſibus aut etiam hebdomadis; et quo longius duraverit morbus, breviores fiunt intermiſſiones, donec in dyſpnoeam continuam tranſit. Pauci autem fruuntur mitiore fato; nam quoque ſecundo quarto aut ſeptimo etiam anno recurrunt paroxyſmi; atque per totum vitae longae decurſum, tempus ſolenne ritè obſervant. Interdum etiam ſed rariſſimè, poſt aliquot annos complureſque impetus, morbus decedit haud rediturus. Plerumque tamen, nil aegroto expectandum eſt, niſi paroxyſmi crebriores et longiores, donec morbus aliquis auxiliaris eum de medio tollat.

Apud ſcriptores invenimus, aſthma nulli terrae plagae reſtrictum eſſe; regionibus autem ſeptemtrionalibus,

trionalibus, et ſub coelo vario atque crebris procellis aſpero maximè viget. Inſulam hancce noſtram ſicut patriam agnoſcit, ubi omni tempore anni regnat, ſed, ut quibuſdam placet, latius hieme. An loco humili aut excelſo, ſicco aut humido, magis gaudeat, parum compertum; ubique enim inventum eſt, et rus apertum urbemque clauſam aequè imperio premit. Sed aeger aſthmate implicitus omni loco non aequè valet. Unus ſeſe melius gerit rure, alter in urbe; atque locus et aer illi convenientes huic nocent.

Aſthma tamen omnem aetatem non ex aequo invadit; nam ſeniores plerumque adoritur; et cum juniores aggreditur, vires ſemper acquirit annis. Quidam volunt mares ei obnoxiores eſſe, alii autem fœminas, ex quo colligi poteſt quod aſthma nulli parcit ſexui ſed mares et fœminas aequè premit. Omnia temperamenta etiam invadit, etſi ſecundum quoſdam, ſanguineum ei magis proclive est; hoc tamen affirmare aut refellere experientia noſtra non ſufficit.

De variis ſpeciebus aſthmatis a ſcriptoribus memoratis, non est in animo verba facere ; morbus ſemper idem eſt, cauſae excitantes tantum diverſae. Pergimus igitur referre quibus modis aſthma ab aliis reſpirationis morbis discerni poteſt.

DIAGNOSIS.

Asthma et quaedam ſpecies dyſpnoeae exiguo fine dirimuntur. Eandem aetatem invadunt, iisdem cauſis oriri videntur, formam haud multum diverſam gerunt, atque uti ſupra memoravimus aſthma ſaepè in dyſpnoeam veram tranſit. Aſthma tamen dicitur magis ſubito oriri atque aegrum vehementius angere. Ab cauſis levioribus etiam originem ſaepe ducit. Inſpiratio et expiratio ſunt aeque impeditae, ſed paucis horis peractis rurſus liberiores fiunt, et paroxyſmo peracto, aeger bona fruitur valetudine donec morbus de novo redintegrat impetus. Atque hoc plerumque fit certis temporibus, et cum nulla cauſa manifeſta adeſt

eſt. Contra, dyſpnoea paulatim ſuboritur, nec citò tam longe procedit. Inſpiratio etiam longe difficilior est, et impletione pectoris obstari videtur. Spirandi difficultas perpetua et conſtans et ex cauſâ bene nota oriri ſolet.

Ab hydrothorace tamen multo facilius dignoſcitur aſthma. In illo reſpiratio continuè laborat, ſed ſpiritus non editur ſtrepente ſono. Tuſſicula valdè moleſta adeſt. Vultus non ſolum ut in aſthmate pallet, ſed iſto pallore leucophlegmatico ſqualet, qui hydropem ſemper deſignat. Intumeſcunt etiam pedes, et urina eſt parca atque turbida. Pulſus valdè irregularis; ſomnus multoties ſubitoque interruptus, atque ſomniis horrificis perturbatus; et ſaepe liquor in thoracis cavo tactu ſentiri poteſt. Haec ſigna hydrothoracem ab aſthmate clarè diſtinguunt.

Aſthma a cynanche tracheali dignoſcitur quod haec plerumque infantes impubereſque adoriri ſolet, laryngem atque partes ſuperiores

tracheae maximè occupat, pyrexia etiam adeſt, paucis diebus morbus decedit aut aegrum opprimit, vox ejus clangoſa differt ſono quem edit aſthmaticus, nec ut aſthma periodicè redit.

Ab pectoris anginâ dignoſcitur quod aegrum ſenſu obſtrictûs circum pectus, non dolore afficit.

Hyſteria, iſte morbus multiformis, formam aſthmatis ſaepe induit, atque medicum peritiſſimum falleret ſi ad ſexum, aetatem, mores habituſque aegroti animum non applicaret, his tamen exploratis nil dubii remanere poteſt quod praxi rectae obſtaret.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Hae, ut indicat nomen, corpus morbo magis obnoxium reddunt. Uti ſupra memoravimus, aſthma ineuntem aetatem rariſſimè invadit, igitur

cuique

cuique de caufis praedifponentibus reputanti primò occurrit aliquam huic morbo proclivitatem annis partam effe. Naturam tamen hujus proclivitatis nemo adhuc explicare ausus eft, etiamfi cum haec abeft caufae aliae plerumque nullum edunt effectum.

Plethora et obefitas inter caufas praedifponentes a plerifque recenfitae funt. Procul dubio refpirationi mechanicè obftant, fed utrum aliquid praeterea faciunt magis incertum eft. Plurimi et plethorici et obefi afthmate expertes vivunt, et fi forte correpti fint cito mirè tabefcunt, fed cum nitore et fanguine non morbum depellunt, nec paroxyfmo ullo fequente minus vexantur. Porro fumma macies non valet quemcunque defendere contra afthmatis impetum.

Thoracis deformitas faepe liberae pulmonum diftenfioni obftat, atque dyfpnoeam perpetuam gignit, et faepiffimè illi hoc modo laborantes etiam tentantur afthmate. Hoc vitium corporis eft unica caufa praedifponens fenfibus aperta, fed

ejus

ejus modus operandi admodum obſcurus eſt, et cauſa ſaepè adeſt ubi non comitatur effectus.

Eſt etiam quaedam corporis constitutio, liberis a parentibus tradita, quae aſthmati maximè proclivis est, nemo enim ignorat aſthma eſſe hereditarium. De qua autem muſculorum aut nervorum conſtructione haec pendet conſtitutio, quibuſve modis a parente ad ſtirpem tradita eſt, Natura inter arcana ſua conditum ſervat. Sed etiam in iis quibus ineſt haec conſtitutio, provectiori aetate tantum ſupervenit morbus. Nec ſtirps tota ſemper inquinatur hac labe hereditaria, eodem modo ut quiſque filius parentem non refert ore, nam multi aſthmaticorum liberi omni reſpirationis morbo ſecuri vitam degunt. Interdum etiam aſthma graviſſimè ſaevit ubi adeſt nullum vitium hereditarium, ita ut nullis certis ſignis colligi poteſt quis morbo corripietur aut quis ſolutus evadet.

Debilitas, nimiâ evacuatione, morbo aliove caſu inducta, cauſa praediſponens quoque habita

eſt,

eſt. Sed cauſa praediſponens omnium potentiſſima atque optimè cognita eſt morbi prior paroxyſmus, nam rariſſimè quiſquam dimittur poſtquam unum alterumve paroxyſmum paſſus ſit. Tot ſunt cauſae praediſponentes ab auctoribus memoratae, et fatendum eſt multâ caligine adhuc premuntur.

CAUSAE EXCITANTES.

Eae ſunt quamplurimae, et multum inter ſeſe diverſae; igitur referemus paucas de medio sumptas. Primae notatu dignae ſunt aëris viciſſitudines. Quamvis una aëris conditio reſpirationi ſanae magis faveat, tamen homines vivere atque valere poſſunt vario aëre, et intra certos fines aër ille ſaluberrimus eſt quem cuique commendaverit uſus. Viciſſitudines tamen leviores, quamvis reſpirationem ſanam nullo modo afficiunt, ſaepe multa incommoda aſthmatico afferunt. Hinc aſthmaticus qui rure degens bona fruitur valetudine ſi urbem appropinquet paroxyſmo corripietur,

pietur, contraque si civis sit urbe valet et aegrotat rure. Si montium incola sit, haud impune in valles descendet, et si crasso aëre vigeat ei nocebit purius coelum. Immo aëris diversitas quae sensus aliorum penitus latet asthmaticum saepè graviter vexat. Ex his omnibus sciri potest non aëris quamvis certam conditionem sed conditionum vicissitudines paroxysmum excitare. Haeque vicissitudines ad humorem calorem omnesque vapores et odores aëre commixtos pertinent, et hinc quo saepius hae occurrunt eo magis viget asthma. Interdum tamen asthmatici omnem varietatem et aëris et coeli, sine injuria patiuntur, nec ante tempus solenne quod prior usus statuit, redit paroxysmus.

Indigestio quocunque casu inducta etiam asthmatis paroxysmum persaepè excitat. An hoc fiat ex pulmonum et ventriculi mutuo affectu an ex ventriculi inflatione, quae concoctionem pravam subsequitur et mechanicè respirationi obstat, in medio relinquimus, sed certè nulla causa excitans potentior frequentior magisve dolenda

lenda eſt, aſthmatici enim ſemper valdè ſtomachici fiunt.

Satis cognitum eſt aſthmatis paroxyſmum ſaepe induci multis reſpirationi mechanicè obſtantibus. Hinc pectoris conſtrictio veſtitu aut etiam cataplaſmate ei admoto ſaepè aſthmaticis nocet. Exercitatio vehemens quae ſanguinem incitat atque reſpirationem frequentiorem reddit certiſſimè paroxyſmum inducet. Perſpiratio imminuta aut penitus cohibita ſive frigore aliâve cauſâ eundem edit effectum, et ſi ſupervenerit catarrhus, impetus gravis certiſſimè ſubeundus eſt. Multi alii morbi aſthma excitant aut cum eo alternant, praecipuè variola, rubeola, hyſteria, et podagra, ſi ſcriptoribus fides ſit. Evacuationes nimiae aut ſubito ſuppreſſae, ſtudia graviora atque affectus vehementiores animi paroxyſmum etiam ciunt, ſed cauſas plures enumerare, aut de his ſupra memoratis fuſius diſſerere ſupervacaneum eſſet, quia ex jam dictis ſatis apparet ut quaevis mutatio aut ſtatûs, aut functionum corporis, aſthmatis paroxyſmum excitare valeat.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

De hac parum conſtat inter auctores. Quaecunque ſit, ſymptomatum rationem reddere ſufficeret. Hoc tamen non facile factu quia cauſae praediſponentes non ſatis cognitae, excitantes variae et diverſae ſunt, atque in hac re nihil ex cadaverum inciſione diſci poteſt.

Affectio ſpaſmodica cellularum pulmonalium a Culleno memorata, quaedam ſymptomata ſatis bene explicat. Hinc anguſtiae in pectore ſenſus quae inſpirationi et expirationi aequè obſtat. Et nemo eat inficias talem ſpaſmum poſſe fieri quia in bronchiis anatomici fibras muſculares non detexerunt, nàm membrana per partes interiores pulmonum obducta eandem texturam quam arteriae ac venae habet, et in his nemo ignorat motus contractioneſque gigni.

Sed pulmonum affectio ſpaſmodica rationem non reddit ſoni iſtius ſtrepentis quem edit aſthmaticus

ticus, vox enim non a bronchiis ſed a glottide formatur. Nil tamen vetat glottidem atque laryngem eodem ſpaſmo affici atque huic ſono originem dare, et obſtrictûs in gutture ſenſus nos reddit certiores rem ita ſeſe habere.

Nec ad has partes ſolummodo extendit haec affectio ſpaſmodica, nam ſeptum tranſverſum quoque alioſque muſculos reſpirationi inſervientes etiam invadit ut ex totius thoracis rigiditate ſatis manifeſtè apparet.

Idem ſpaſmus rationem ſatis veriſimilem reddit tuſſis et ſputi in variis ſtadiis paroxyſmi. Sub initio tuſſis difficilis vel nulla, quia perſtante ſpaſmo pulmones moveri nequeunt, et dum cellulae validè conſtringuntur nil humoris exudat ad tuſſim excitandam, ſed verſus finem decedente ſpaſmo, rurſus defluit humor et tuſſis liberior exoritur cum ſputo muci ſaepè copioſo.

Talem rationem ſymptomatum reddit haec affectio ſpaſmodica, et aegroti ſenſus docet eam verè

adesse. De ejus praesentiâ multa alia fidem faciunt; paroxysmus sicut in aliis morbis spasmodicis subito atque ex causis levibus, et praecipuè ex animi motibus exoritur, dum perstat multum urinae limpidae redditur, atque cum hysteria aliisque spasmis alternat. His igitur positis, theorias varias auctorum confirmare, aut refellere, aut etiam enumerare haud necessè est, itaque sacro silentio praetereantur.

PROGNOSIS.

Haec admodum infausta est. Multi quidem asthmatici ad ultimam senectutem perveniunt et rarissimè uno aut altero impetu aut etiam vi propria morbi conficiuntur. Etsi quovis paroxysmo in ipso articulo mortis versari videntur tamen cum longe processerit morbus et syncope supervenit symptomata statim mitescunt et deinde more solito decedunt. Aliquando tamen brevi paucisque paroxysmis aegrum conficit, sed saepius post complures graves impetus morbum aliquem auxiliarem sibi ascißcit,

ciſcit, atque viribus conſociatis aeger cito ſuccumbere cogitur. In junioribus phthiſin pulmonalem ſaepe inducit, alios hydrope hydrothorace aut vaſorum majorum aneuriſmate interimit; et ubi haec non eveniunt, morbus aegrum nunquam ferè dimittit donec crebris impetibus atque ſumma macie et debilitate confectus, diem ſupremum obit. Interdum tamen uti ſupra adnotavimus poſt complures impetus penitus decedit, aut virili aetati parcit ut collecta vi in ſenectutem irruat.

RATIO MEDENDI.

QUAMVIS hic morbus per longum tempus incubuit gentibus, nullum remedium adhuc repertum eſt, quod eum auferre aut prohibere valeat. Sed utrum ad paroxyſmum dirimendum ſeu ejus reditum prohibendum ſpectamus, multa et non ſine fructu adhibeantur.

Si aeger juvenis aut plethoricus ſit, et ſuffocatio immineat, ſanguinis miſſio ſaepè optimos edit

effectus,

effectus, nam omnem ſpirandi difficultatem pluresque ſpaſmos cito dimovere ſolet. Cautè tamen adhibenda eſt quia plethoram gignit quae liberae reſpirationi ſemper obſtat, atque iſtam mobilitatem auget, quae paroxyſmi reditui favet. Porro ſi multum ſanguinis detraheretur debilitas ſupervenit quam dirus hydrops plerumque ſubſequitur. Sed haud neceſſe eſt multum detrahere; unciae enim duae vel tres ſubito emiſſae ad paroxyſmum levandum ſaepè ſufficiant.

Medicamenta purgantia ingruente ſeu perſtante paroxyſmo, niſi conſtipatio adest, nil levaminis afferunt. Saepè etiam ſpirandi difficultas augetur aliqua re irritante in ventriculum recepta, ideoque ſemper magis prodeſt ventrem ſolvere ope enematum.

Vomitus plurimum valet ſeu impetum prohibere ſeu paroxyſmum praecidere volumus. Quidam mihi bene notus qui complures annos aſthmate laboravit hoc remedio multum uſus eſt. Cum indigeſtio paroxyſmi fidus praecurſor acceſſit

ceſſit experientia doctus doſin ipecacuanhae ſumit, et ſimul atque ceſſaverit vomitus ad lectum confugit atque ibi ſomno et ſudori deditus tutus latet. Si unquam inopinatò corripitur, quod raro fit, emetico ſumpto ſymptomata ſtatim miteſcunt et deinde paulatim decedunt. Hoc modo non injucundè degit vitam, nec ut cautus medicus timeret frequens vomitio ventriculo multum nocet. Addere liceat ejus experientiam confirmare opinionem quod ipecacuanha praeſtat omnibus aliis emeticis in levando aſthmate.

Multa antiſpaſmodica ſicut quodam incantamento paroxyſmum praecidunt, ſed ubi ſaepe adhibita ſunt, omnem vim amittere ſolent. Hinc neceſſe eſt multis variiſque uti, et ſaepe mitiora multum proderunt ubi acriora multoties ſummo fructu antea ſumpta fruſtra exhibait ſunt. Ex his omnibus opium et aether ſulphuricus ſunt optima. Ne vires amittant exhibeantur alternè, et multi monent ut conjuncte ſumerentur, quia hoc pacto vires medicatrices utriuſque augeri videntur. Moſchus, alkali volatile atque

camphora

camphora etiam interdum levant paroxyſmum, ſed cautè adhibenda ſunt quia pulſum incitant atque pyrexiam et delirium inducunt.

Cum, decedente ſpaſmo, tuſſis et excreatio ſunt difficiles et moleſtae quaedam expectorantia plurimum juvant. Ex his ſcilla maritima, gummi ammoniacum et ipecacuanha parvis doſibus exhibita, inter optima recenſenda ſunt. Liquor coffeae a quibuſdam multum laudatur, et quendam cognovi qui theam ſolummodo ſorbebat, quamdiu perſtiterit paroxyſmus, et ſine maleficio; ſed harum rerum uſus frequens in dieta quotidiana earum vires medicatrices minuere debet, et plerumque hi potus multo ſaccharo commixti aegroto nocent, niſi prior uſus eos ſtomacho commendaverit.

Hoc morbi ſtadio pediluvia multum juvant, praeſertim ſi artus frigent, iſtam enim perſpirationem citius provocant cum qua paroxyſmus plerumque deſinit. Tantum valet medicina paroxyſmum praecidere, et nunc expediendum eſt quibus modis reditui ejus occurrere poſſumus.

Cauſae

Causae praedisponentes sunt parum cognitae, ideoque latet quibus modis auferendae aut vitandae sint. Tantum igitur restat ab causis excitantibus cavere, aut contra earum vires corpus confirmare.

Si res et vitae munera patiuntur, asthmaticus in in terram aliquam benigniorem demigrare debet, ubi sub coelo sereno nec procellis vexato vitam degeret. Sed cum hoc non potest fieri, varii coeli effectus prohibendus est vestitu, aut exercitatione multa sub dio corpus corroborandum est contra aëris vicissitudines, et tempestatum vires. Vestitus tamen gravis haud gerendus est, quia perspirationem nimiam elicit quae corpus debile reddit, et exercitatio vehemens eodem modo multum nocet. Haec duo etiam contra indigestionem causam excitantem valdè frequentem, maximum praesidium praebent. Maxima temperantia et cibi et potus adhibenda est quia nil rectae concoctioni magis favet, et praesertim condimenta nimia et liquores spirituosi deneganda sunt, nam ventriculum debilem et infirmum semper

reddunt.

reddunt. Ab conſtipatione etiam caveret aſthmaticus nam probae concoctioni multum obſtat. Mentis exercitatio prodeſt, ſed motus omnes immodici ſeu ira gaudium aut triſtitia effugiendi ſunt, quia haud raro paroxyſmum excitant. Quibuſdam etiam placet confirmare corpus lavatione frigida, et ſi nil nocet adhibeatur. Si aeger ipſe medicamentis gaudet, utatur cinchonâ atque aliis tonicis et ſtomachicis, ſed ne ceſſet medicus monere regimen idoneum omnibus medicamentis longe anteponendum eſſe.

FINIS.